

nobis est, an ab alio. Deinde an dolus dederit catu-
sam promissō pactove, ita ut citra illum id omissuri
fuerimus; an idem negotio duntaxat inciderit, ita ut
suscipere illud quidem constituerimus, verum in ob-
jecto ejusque qualitatibus decepti simus. Quicis posi-
tis dicimus; quemadmodum in pactis non juratis, u-
bi dolus à tertio fuerit adhibitus, non colludente eo,
qui cum paciscimur, pactum firmum est, sic tamen, ut
ab illo tertio, qui dolum adhibuit, possimus repetere
id, quod intererat nos non esse deceptos; ita quoque
se res habet accedente juramento. Et sicut ei, qui do-
lo suo malo causam dedit, ut ipsi quid promitterem,
cum eoque paciscerer, ex isto actu haud quicquam obli-
gor; ita non magis apposito Jurejurando; propter e-
asdem rationes, quas circa promissionem vi injusta
extortam §. 9. attulimus. Quod si dolus fuerit inci-
dens circa ipsam rem aut qualitatem rei, ad præsens
negotium spectantem, haec tenus pactum, sive simplex,
sive juratum, erit vitiosum, ut in arbitrio decepti sit,
illud penitus dissolvere, aut lesionis pensationem exi-
gere. Causa est, quia res illa aut qualitates in pro-
missione suppositæ habent vim conditionis, sub quâ
juramus, promittimusve. Qua conditione non ap-
parente, quæ superstruuntur, corruunt. Quæ etiam
ratio procedit, si qui juravit citra dolum alterius fa-
tum aliquod ex errore supposuit, quod revera ita se
non habebat, ac nisi id credidisset, non fuisset juratu-
rus. Dolus circa ea, quæ ad essentiam rei non faciunt
nec expressè fuerunt designata, promissionem aut ac-
cedens juramentum non vitiat, licet forte alter de iis,
dum paciscitur, tacite cogitavit, De Juramento à Jo-
sua Gibeonitis præstito, Iusue cap. IV. post Grotium ac-
curatè tractat D. Pufendorfus IV. 2. 7.

XIV. Notandum quoque est diligenter, per sub-
sequens juramentum haudquicquam antegressam obli-
gatio-